

† R. P. Otto Dilgskron.

(*Prov. Vindobonensis*).

Primo mane diei 29 ianuarii 1923 in collegio nostro Vindobonensi ad Scalas B. Mariae V. senex P. Otto Dilgskron, cum paulo ante diamantium professionis religiosae iubilaeum egisset, ad vitam meliorem transiit, ut laborum impigrorum virtutumque suarum praemium aeternum adipisceretur.



P. Dilgskron natus erat Vindobonae die 18 augusti a. 1845 patre Carolo Dilg de Dilgskron, qui in ministerio rerum exterarum secretarii munere fungebatur, matre Aloisia de Schmied. Parens uterque et nobilitate ingenita et solida pietate imbutus eisdem duos filios, Carolum et

Ottonem, filiamque Mariam instruere non sine magno fructu satagit, et quia scholae parentum curam strenue adiuwabant, mature in puerorum animos ea virtutum fundamenta iacta sunt, quas in viris Carolo et Ottone admirari licuit. Studia litteraria uterque in instituto iuvenum nobilium Löwenburgiano incepit, quod Patres scholarum piarum magistros habuit.

Ibi Otto, ut testimoniis scholarum comprobatur, cum optimo successu in studia humaniora incubuit.

Sed iam in tenera illa aetate ascesis quoque semina admiranda in Ottonis cor sparsa erant. Pater, qui in commentariis diurnis adnotare solitus est, quidquid in familia domoque memoria dignum videbatur, die 8 aug. 1854 de Ottone, cum puer novem annorum esset, haec scripsit: « Piissime iterum puer hic optimus et ante sacram communionem et post eam se gessit; et praecipue talibus oblatibus constantia quadam vere miranda se continet. Nuper per totam hebdomadem carne bubula abstinuit, nunc tantundem ad ientaculum altera coffeae scutella carere vult ». Et die 20 dec. eiusdem anni, cum Otto s. confessionem ad s. iubilaei indulgentias lucrandas peracturus esset, pater scripsit: « Per totam hebdomadem carne abstinet, et etiam de pisce, quem accepturi sumus, nihil gustaturum se esse edixit ». Quae cum Carolus frater post perlustraret, haec apposuit: « Quem Deus tam mature vocaverit, eum viam altam sursum ducturus est ».

In Congregationem Ottoni Carolus frater maior vitam stravit, cuius virtutum a puero multum apud eum valuit auctoritas. Carolus enim diebus festis paschalibus a. 1855 Patrem nostrum eximium Franciscum Tendler in instituto Löwenburgiano audivit ad exercitia spiritualia praedicantem, cuius deinde familiaritate usus est, donec a. 1860 Congregationi nomen dedit. Anno sequenti Otto fratrem secutus est et, die festo Epiphaniae Domini a. 1863 votorum professione Dei iugum in se suscepit. Cum studia sua in studentatu Mauternensi perfecisset, die 21 augusti a. 1868 ad sacerdotium promotus est. Ad primam eius missam parentibus piissimis adstantibus Carolus concionem festivam habuit.

Eo tempore clerici nostri Itali, ut pericula in patria imminencia viderent, in Austriam missi erant et in domo Puchheimensi asylum invenerant. Ad eos tum missus P. Otto per tres annos lectorem theologiae dogmaticae egit discipulis suis dilectissimum simul et nativo more suo strenuum. Anno 1872 Vindobonam vocatus procuratoris provinciae munus suscepit, quo per duodecim annos ea, qua in omnibus rebus praeditus erat, cura ac diligentia gesto a. 1884 collegii Leobiensis Rector creatus est. Domus haec earum rerum, quae ad victum necessariae sunt, inopia potius quam copia laboravit, unde Rectori curae non parvae ortae sunt, praesertim cum mox post eius in munus ingressum superiores partem iuvenatus in illa domo collocavissent, quae cum sat ampla esset, huic rei apta videbatur. Sed Rector, qui omnes, imprimis vero iuvenatus alumnos, paterna caritate prosequabatur, in optima omnium pace domui praefuit, cui etiam sacerdotum saecularium amicitiam comparavit.

Tredecim deinde annos (a 1894 ad 1907) Vindobonae in urbe patria sive procuratoris iterum provinciae (a 1894 ad 1897), sive ministri in collegio Hernalsensi, sive consultoris provincialis munera obivit. Anno 1897

tamquam confessarius ordinarius monialium SS. Redemptoris curam spiritualem suscepit et anno 1902 in processu apostolico Ven. S. D. Iosephi Amandi Passerat ad curiam Vindobonensem postulator creatus est, quo in munere difficultates laboresque innumeri erat superandi. Invictae constantiae assiduaeque diligentiae praemium consecutus est, cum processu finito a. 1907 cum P. Ioanne Haas, actorum portitore, comes Romam visere posset. Eodem anno domus Eggenburgensis, anno vero 1909 Katzelsdorfensis Rector constitutus est, et a. 1912 Leobii minister factus tandem a. 1915 senex annorum septuaginta Vindobonam ad Scalas B. M. V. revertit, ubi pensum vitae suae perficeret. Ibi quoque sive in secundo novitiatu, cum Patribus iunioribus praefectus esset, sive in pulpito, sive praesertim in confessionali laborare non destitit, donec vires consumerentur.

In ministerio sacerdotali P. Dilgskron impigre semper laboravit. Exercitiis spiritualibus per tot annorum tempus innumeris praefuit, praesertim in domibus religiosarum; sed etiam sacerdotibus, clericis, viris iuvenibusque et mulieribus status laicalis hoc salutis auxilio opitulatus est. Vindobona Leobioque etiam in missiones exivit, qua in re nemini, qui hominem noverat, dubium esse potest, quin concionum eius argumentum sanum et accuratissime elaboratum fuerit. Oratio autem pro animi eius personaeque proprietate ad procerum potius quam plebis ruri dispersae commune iudicium intelligentiamque accommodata erat. Diligentissima erat opera eius in munere procuratoris provinciae et in chronicis scribendis archivisque ordine disponendis, quorum curam, etiam cum Rector esset, in se suscipere solitus est. In his praesertim diligentia eius ad minutissima descendens eminebat, quam haereditate acceptam habuit a patre officiali austriaco, quem quod non in actis esset, ne in rerum quidem veritate existere notum erat existimavisse. Quo factum est, ut, si quid in relationibus annuis collegiorum deesset, procurator haud raro ingenii sui acerbam quandam aciem non omnino contineret. Et quamquam in cotidiano fraternoque convictu vix umquam sciens et prudens aliquem laesit, plerique tamen magis eum reverebantur quam diligebant.

Fratrem suum Carolum, cuius quidem eruditionem litterariam haud aequavit, non solum fraterna pietate prosecutus est, sed observantia tam fidenti, ut, quidquid Carolus respondisset, Ottoni oraculi instar esset. Ideo commercium litterarum cum eo semper habuit, et praesertim cum frater Consultor generalis esset (ab a. 1883 ad 1909) ipse vero varia in Congregatione munia obiret, iterum atque iterum ad fratris prudentiam perfugit. P. Carolus autem Ottonis dexteritate usus est in indagandis fontibus rebusque minutis colligendis, quibus ad conscribenda opera sua historica, quae sive typis edidit sive manu scripta reliquit, indiguit. Ita Otto noster, quamquam nihil ipse typis edidit, tamen fratrem de rebus Congregationis nostrae austriacis scribentem multum adiuvit.

Ipsius autem P. Ottonis auctoritas magis etiam in exemplis vitae quam in diligenti prudentia posita erat, qua in muneribus suis obeundis usus est. Fides vividissima quasi in substantiam eius transierat, qua sodalibus saepe sui admirationem iniecit, cum sive in casibus cotidianis, sive in eventibus publicis censendis summa facilitate secundum altiora fidei principia iudicium suum rectum proderet. Ex hoc animo fide viva imbuto observantia illa religiosa nata est, cuius exemplar fidelissimum exstitit. Si subinde regulam aliquam negligi animadvertit, dolore vehementi affectus esse videbatur; sed semper sui compos tacere didicerat, ubi verba obfutura potius erant quam profutura. Specie eius externa, statura corporis pro-cera, ore venusto aequae ac omni vitae eius instituto generis nobilitas prodebat; at hanc generis praestantiam contemnere iam iuvenis suum esse existimavit, quare v. gr. calceos clavis gravibus ferratos sibi quaesivit, qui ab eius nobilitate longe discrepabant. Et sodalis quidam postea narravit se olim indignabundum, quod e vestiario tibialia accepisset indecore resarta, cum P. Ottonem multo etiam peiora placidissime portantem videret, pudore affectum libenter conquevisse.

E litterarum eius cum fratre commercio P. Ottonem haud raro corporis aegrotationes non leves perpessum esse comperimus; sed animo suo forti eas potius occultavit quam prodidit. Etiam senex corpore adhuc robustissimo esse videbatur. At victus inopia belli tempore tolerata, quae tam adverso belli exitu sublata non erat, senis corpus tandem debilitatum est. Et animi maerore, quo homo Vindobonensis, educatione vitaque tota patriae et domus imperialis amore imbutus, afficiebatur, cum Austriam deletam et dilaceratam, imperatorem patria pulsum et procul in summa egestate mortuum, domi tam multa susque deque versa videret, vires paulatim exhaustae sunt. Aegerrime adhuc ad altare ascendere poterat, at s. sacrificium ad diem 22 ianuarii peragere non omisit. Postridie s. sacramentis munitus magnis doloribus cruciari visus est, sed precatiunculis iaculatoriis confortatus patiens et quietus omnia supportavit. Tandem die 29 ianuarii hora post mediam noctem tertia et dimidia placidissime spiritum emisit. R. i. p.!